

D. F. G.

DISSERTATIO
HISTORICO POLITICA

De

FOEDERE
DAVIDIS

Cum

ABNERO,

Quam

Ex suffragio Ampliss. Sen. Philos. in Regia Acad. Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

ISAACI BJÖRKUND /

Hactenus Lingv. Orient. jam v. S. S.
Theol. Profess. ordin.

Pro GRADU MAGISTERII

Publicæ disquisitioni submittit

S:æ R:æ M:itis Alumnus

MICHAEL FORSELIUS

Satacundensis,

Die XXIII. Junii, Anni MDCCXXXV.

Loco horisque consuetis.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

Michael Forselius

Viro Generoso ac Nobilissimo,

Dn. ROBERTO WATZON,
Legionis pedestris Bïörneburgensis Ma-
jori dudum meritissimo ac strenuissimo,
Patrono propensissimo.

Nobilissimo ac Strenuissimo Viro,

Dn. OLAO KRUSELL,
Militiæ pedestris Bïörneburgensis Sub-
centurioni, rei militaris peritissimo, ac
optime merito: Affini, ob affectum plu-
rimis beneficiis declaratum, ætatem co-
lendo, suspiciendo.

Plurimum Reverendo ac Eruditissimo Viro,

Dn. PETRO WIIDBOHM,
Pastori Ecclesiarum, quæ Deo in Can-
galala colliguntur, meritissimo, Affini
meo benignissimo æstumatissimoque.

Spectabili ac Prudentissimo Viro,

Dn. MATTHIÆ RUNGEEN,
Mercatori Aboënsi laudatissimo.
Fautoribus, ob consanguinitatem & sin-
mandis ac

Tor & Franciis beneficiis, mihi meisque a vo-
gentissimi, prestitis, devinctum me compersi-

Viro Nobilissimo atque Amplissimo,

Dn. ADAM. W. TANDEFELDT,
Militiæ pedestris Tavastensis Capitano
strenuissimo, non minus literis quam
armis conspicuo,
Patrono Certissimo.

Plurimum Reverendo & Præclariss. Viro,

M. g. GABRIELI FORTELIO,
Reg. Gymnasii Borgoënsis Hist. & Moral.
Lectori Meritissimo, Ven. r. Consist. i-
bidem Assessori accuratissimo, Templi
Cathedralis Archidiacon. vigilantissimo, &
h. a. Gymnasii Rectori Celebratiss.
Patrono benignissimo.

Perquam Reverendo atque Doctissimo

Dn. ANDREÆ FORSELIO,
Sacellano & Vice-Pastori in Hardola,
Dioceseos Borgoënsis, optime merito
fratri ob singularia in me collata bene-
ficia colendo.

Viro Spectabili ac Prudentissimo,

Dn. JACOBO COLLINO,
Civi & Mercatori Aboënsi laudatissimo,
gularem benevolentiam, plurimum a-
honorandis.


*bis, Patroni, Affines, Frater & Evergeta indul-
et, ut frustra coner eadem, verbis digne ex-
sollere.*

dollere. Attamen, cum jam se offerat qualiscunque occasio gratum meum animum declarandi, dum nempe pagellæ hæ, solius materie præstantis sese commendantes, publicam lucem adspèctura sunt; ingratus omnino jure meritoque haberer, si vestrorum erga me meosque meritorum memoriam, oblivio ita dederet, nè vel aliquot meæ pietatis in vos documentum exstare facerem. Nunc præsentem dissertatiunculam magnis ac honorandis vestris nominibus consecrare sustineo: humillime rogans, ut magis prolixum offerentis animum, quam munusculi tenuitatem respiciatis. Ego v. cum nequeam demereri beneficentiam vestram, aliquo officii genere, quamquam studium adsi intensissimum; defectum voto supplebo calidissimo. Deus benignissimus diutissime conservet vos salvos ac sospites, tandemque transferat vos ad gaudia nunquam cessatura.

De cetero ero

Magnorum ac honoratiss. nominum
Vestrorum

Cultor humillimus ac
observantissimus
Michael Forselius.



I. N. I.

§. I.

De fœdere Davidis cum Abnero, controversiam sistit.

Quo difficilius est a clandestinis insidiis sibi cavere, quam ab aperta vi; eo formidabilior ipso bello est proditio. Ideo & proditor, iure meritoque majori expositus est odio, quam apertus hostis & inimicus. Verum non tantum perfidus ejusmodi homo, qui fidem præ se ferens, suorum salutem periculo exponit, reprehensione dignus censetur; sed & is, qui ejus opera utitur, alieno imperio subjectos ad proditionem principis sui, similesque actus, incitando. Qui n. alteri peccandi causam

A sam

sam dat, eo ipso & ipse peccasse
 censendus est, iudice Hug. Grotio
 Jur. bel. & pac. l. 3. c. 1. §. 21. 22.
 Certe & gentes moratiores turpe
 duxerunt, hostis ministros auro cor-
 rumpere, atque eorum opera cives e-
 jus ad rebelliones illicere, ut loqui-
 tur Sorstorus ap Puf. l. 8. c. 6. § 18.
 Nec deest nobis exemplum animi a-
 deo generosi, cui etiam hostis pro-
 ditor maxime displicuerit. Illud v.
 habemus in Alexandro Magno, qui
 non solum graviter increpuit Bessum
 ob prodicionem & occisionem Da-
 rii; sed & tradidit eum Oxathri Da-
 rii fratri, ut exquisitissimis supplici-
 is eum adficeret. V. Curt l. 7. c. 5.
 v. 38. 40. l. 7. c. 10. v. 70. Just. l. 12. c. 5.
 Proditoribus etiam Abner adnume-
 ratur a quibusdam, in primis v. a
 Petro Bælio. Hujus sententia, refe-
 rente Buddeo in hist. Eccl. V. T. est:
 Daviden l. hoc nomine reprehen-
 dendum esse, quod Abneri perfidi ho-
 minis & proditoris opera usus sit,
 ut voti sui (Imperii sc. Israelitici)
 tan-

3

tandem compos redderetur. Adeo infensus est Davidi, ut paucis interceptis, rotundo pronunciet ore, secundum æquitatis doctrinæque moralis leges, hunc agendi modum, veri Dei cultorem decere, nunquam probari. Huic sententiæ cum subscribere nequeamus, ei contrariam, divina subnixi gratia, brevissimis propenemus. Scilicet existimamus officia Abneri in adducendis Israelitis ad obsequium Davidis, communionemque juris, præstita, fuisse licita. Nec dubitamus idem ferre judicium de hoc ipso fædere, cujus vi Abner se effecturum promissit, ut regnum in duo divisum, de novo coalesceret in unum corpus politicum, ac uni, ei que legitimo suo capiti subjiceretur. Davidem quoque omni vacasse culpa putamus, licet cum Abnero, pacem & amicitiam offerente, de negotiis publicis, communis utilitatis causa convenerit. Hæc est summa dicendorum. Si v. desideriiis tuis L. B. satisfacere ne-

As

queam

4
queam, sed non solum ingenii tenui-
tati, sed & temporis angustia ad-
scribere velis.

§. II.

Occasionem hujus fœderis indicat.

Cum Isboseth necessum haberet
Abnero Regnum acceptum ferre;
magna proinde Abner pollebat au-
ctoritate. Hæc una cum opibus ac
potentia accrevit, 2. Sam. 3: 6. Au-
ctoritatem hanc & potentiam inso-
lentia exceperit, nimiaque licentia.
Adeo n. profanus fuit, ut non du-
ceret turpe, venereum exercere a-
morem cum defuncti regis pellice
Rizpa. Ejusm. actus & licentia ut
præludium censebatur fastigii rega-
lis, ceu colligitur ex 2. Sam. 12: 8.
c. 16: 21. 1. Reg. 2: 17. 22. Ita forte
Abner eo ipso non solum declarare
voluit, & in regimine & in regia,
sibi omnia licere; sed & regiam se
affectare dignitatem. Cum ig. ob-
stuprum ab Isbosetho increparetur,
elatus ejus animus ferre non potuit
correctionem, tanquam quæ infra
dig-

dignitatem suam esset. Hinc adeo excanduit ira, ut non solum stuprum laeve aestimaret, atque objiceret Isbosetho beneficia, ipsi & paternæ domui præstita; sed & polliceretur se effectui daturum promissum Dei, de transferendo integro regno a Saulis domo ad familiam Davidis, ac si penes ipsum stetisset impleri se irrita fore promissa Dei. Hæc itaque est occasio, ut vitio maxime obnoxia, quæ Abner permotus est ad fœdus hoc ineundum: hinc tamen moralitas fœderis, quod suis nititur rationibus, non est metienda.

§. III.

An Abner prodendi animo fœdus hoc pepigerit.

EX 1. Sam. 17: 55. adparet, Abnerum fuisse principem militiæ Saulis, quem dignitatis gradum etiam in militia Isbosethi tenuit, 2. Sam. 2: 12. Ut nihil dicam de eo, quod cognatione conjunctus fuit cum Saule. Sine dubio etiam pacto se adstrinxit

xit ad præstandam Isbosetho fidelitatem, & officia regi debita. Quo itaque arctiori nexu devinctus fuit domui Saulis, quove majoribus beneficiis ornatus fuit, ut a Saule, ita & ab Isbosetho, dum ab illo constitueretur dux militiæ summus, & ab hoc in eadē dignitate conservaretur; eo etiam firmiter debuissent eadem beneficia conficere vinculum, quo obstringeretur ad promovenda commoda domus saulinæ. Non solum igitur ingrati animi vitio, sed & perfidiæ crimini obnoxius fuisse videtur Abner. Sed videtur tantum. Plura namque adsunt documenta, quæ liberant eum a Scelere tam nefando. Verum in antecessum fate-mur, obligationem hanc ejus Isbosetho datam vero destitui fundamento, justumque eum neglexisse ordinem ac modum in ea declaranda. Immo etiam, commodi sui observantiorē forte fuisse, quam voluntaris Divinæ. At tamen hujus fidei, familiæ Saulis datæ, documentum est,

est, quod obstiterit Davidi, ne is rex crearetur, effeceritque, ut Isbo-
 leth contra Numinis summi decre-
 tum, universi exercitus Israelitici
 conclamatione imperator agnosce-
 retur, 2. Sam. 2: 8. 9. 10 Et quod ad
 hoc negotium pacificationis attinet,
 certe ipsius Isbolethi consensus, quo
 munitus Abner, hoc fœdus iniit,
 a vitio proditionis satis superque e-
 um liberat. Non. n. eo destitutus
 fuit. Colligitur id l. inde, quod
 Isboleth ipse ademerit Palthieli Mi-
 chalam Davidis uxorem, 2. Sam. 3:
 15. ad Davidis petitem, v. 14. eamq;
 per Abnerum, (dum Chebronem
 proficisceretur ad percutiendum fœ-
 dus de regno Davidi tradendo) ad
 Davilem ducendam curarit, v. 3.
 Nec obstat, quod forte metus hunc
 Isboletho extorserit consensum, quo-
 niam is justus fuit, & a Davidis
 justa causa incussus, ut Bud. utar
 verbis Ph. pr. p. 2. c. 5. l. 6. §. 22.
 p. 4 2. Clarissime v. fidelitas Abne-
 ri in Isbolethum colligitur ex terro-

3
re, quo percussi sunt, non solum Is-
raelitæ, sed & ipse Isboſeth audita
morte Abneri, 2. Sam. 4: 1. Nullum
n. locum terror habere potuiſſet,
niſi perſuaſiſſimi fuiſſent de ejus fi-
de erga ſe. Huc pertinet, quod Ab-
ner magis ingenuus ac ſincerus quam
Joab prædicatur, 1. Reg. 2. v. 32.
Si n. proditor fuiſſet, nec hoc elo-
gium ei tribui potuiſſet, nec Joab
Abnero & Amaza interfectis, pœ-
nas capite perſoluturus fuiſſet.

§. IV.

*An ergo licitum fuerit Abnero fœdus hæc
ferire.*

Et quandoquidem Abner, priusquam
conſensus Iſboſethi accederet, ob-
ſeqvuo renunciavit, obſtare videtur
Lex, quæ pacta ſervanda eſſe, mor-
talibus iniungit. Pactum n. aliquod
acceſſiſſe, atque conſenſum, quo Iſ-
boſethum ſuum agnovit regem; non
ambigimus. Quoniam v. contra Nu-
minis ſummi voluntatem, ſuamque
conſcientiam, Iſboſethū regem con-
ſtituendum curavit, ceu patet ex 2.
Sam.

Sam. 3. 9. 10. adeoque pactum moraliter impossibile atque illicitum iniuit; irritum itaque pactum fuit. Quæ v. causa pactum reddit irritum, eadem quoque alterum onere, fidem datam servandi liberat, Bud: Phil. pr. p. 2. c. 4. f. 4. §. 13. p. 272. Satius itaque fuit subiectioni hactenus præstitæ renunciare, quam Dei voluntati, a qua constitutio & successio regum pendebat, ulterius repugnare. Nihil ergo mali commisit Abner, a partibus Isbosethi recedendo, & Davidi ceu legitimo suo imperatori, Adeoque & ipsi Deo se submittendo. Nam in male promissis rescindenda est fides.

§. V.

An Isboseth fuerit legitimus imperator.

Fuit quidem Isboseth unicus Saulis superstes filius, quo respectu omnino aliqua prærogativa ei tribuenda videtur. Præterea etiam Saul potius cum regni heredem constituisset quam Davidem, cui, licet genero suo, etiam uorem Michalam
adeo.

ademit, aliqve dedit, ut l. hac ratione eundem iure obtinendi imperium privaret. Cum tn. penes ipsum non staret constituere regem, sed reservavit sibi hoc jus ipse Deus in populo suo, in quo Theocratia nondum plane desierat: Nec jure belli aut absoluta deditioe adqvisitum fuit rgnum, in quo successio instituitur secundum voluntatem antecessoris; non itaqve ei quidqvam juris disponendi de successore competebat. Ut n. Sauli notissima fuit Dei voluntas, 1. Sam. 23: 17. Ita nec Isbosetho eadem ignota esse potuit. Ut nihil dicam de eo, quod obtrusus fuit populo, qui continuo desiderio Davidis tenebatur, 2. Sam: 3: 17. Ne quis v. ex elogio quo justus a Davide pronunciat, 2. Sam. 4. u. inferat, Isbosethum fuisse legitimum imperatorem; sciendum est, respectu ad percussores habito, eum ita vocari. Non n. negari potest, quin repugnando Deo ac Davidi, maxime peccaverit.

§. VI.

An licitum fuerit Davidi regnum Israeliticum sibi vindicare.

Nillum est dubium, quin regnum Israeliticum Divinitus destinatum fuerit Davidi. Constat n. eum per unctionem extraordinariam, eamque privatam a Samuele Bethlehemi administratam, 1. Sam. 16: 12. designatum fuisse regem Israelis. Quamquam v. hæc designatio, obstante Abnero, non æque ab Israelitis, ac a viris Judæ per inaugurationem solemnem, nec non unctionem publicam, per sacerdotem oleo sancto administratam, confirmaretur; nihil tn. eo ipso juri ejus decedebat. Pro concessio itaque ponimus, ad eum id pertinuisse. Hinc quæ legitimo imperatori licent, in recuperando imperio, ab aliis occupato, ea quoque Davidi licuisse, nulli dubitamus. Iam v. in confesso est, partem populi, si vindicari queat ab illo, a quo per vim injustam tantisper avulsa fuit, antiquo iterum corpo-
ri

ri adjungi, & in pristinum locum ac jura redire debere, Bud. Ph. pr. p. 2. c. 5. s. 6. §. 30. p. 417. optimo itaque jure Davidi cessit regnum Israeliticum. Non igitur licitum tantum fuit Davidi imperium hoc capessere, sed & , ni voluntati Dei resistere fas esse statuatur, necessarium. Per eum n. Deus promisit se liberaturum, populum suum Israel, de manu Philistæorum & omnium suorum inimicorum 2. Sam. 3: 18. non v. per Isbosethum, quippe cui regnum Israeliticum a Deo destinatum fuisse, nusquam legitur. Cum itaque & ipsi Isbosetho satis superque persuasum fuerit, se iniustum esse possessorem, ut evidentissime constat l. ex eo, quod nihil reponere posset Abnero, revocanti ipsi in memoriã promissum Dei, jurejurando confirmatum, de transferendo a Saulis familia in domum Davidis integro Israelis regno, 2. Sam. 3: 9. 10. 11. Potuit igitur David, utpote qui e contrario claris argumentis instructus fuit, quibus evinci potuit Isbo-

seth

seth, se injustum fuisse possessorem
regni; eundem possessione depelle-
re, atque regnum sibi vindicare. cf
Bud. ph. pr. p. 2. c. 5. l. 4. §. 7. p. 394.
§. VII.

An licitum fuerit Davidi fœdus hoc inire.
Piusquam ad propositam quæstio-
nem responderi queat, notandum
est, teste Historia sacra, perpetuas ex-
stitisse contentiones inter Saulis &
Davidis familias. Fœdus autem & ex-
inde æstimari solet, pacisne an belli
tempore percussum fuerit cum ho-
stis ministro. Pufend. l. 8: c. 6 § 18.
quidem docet, quod in statu belli, po-
sita sc. justa belli causa, non solum
auxiliis hostem nudare, damnumque
ei adferre; sed & quod eum finem
corruptis per spem præmiorum ani-
mis civium, allequi liceat: Imo quod
in sollicitatorem nihil peccati & cul-
pæ desertoris videatur redundare:
Ideo quod nulla adpareat obligatio,
ut qua commodissime datur via jus
meum consequi intermittam, ne oc-
casionem præbeam peccandi illis,
qui

qui mecum commercia juris, per injuriam suam abruperunt. Et quamquam sunt, qui hæc cum grano salis accipienda moneant: in casu tamen hujusmodi limites honesti nequaquam migrat, qui eos, quos jure pleno vindicare sibi potest, ab injusto Domino & usurpatore juris alieni quavis ratione revocatum it. David itaque nullam contraxisset culpam Abnerum recipiendo, etiamsi hic ab Isbosetho invito descivisset. Nec hoc tantum inde sequitur, sed & licuisse Davidi, etiam proposito præmio sollicitare eum ad defectionem. Astiam ex abundanti de Abnero dici nequit, proditoris instar, ac animo eludendi fidem datam, pactorumque observantiam, defecisse: palam n. egit ac consentiente Isbosetho. Nec deinde in eum quadrat, quod jure aliquo, eoque summo Isbosethum privaverit; cum hic id non haberet. Nec demum perniciem ejus molitus est, quoniam conciliaffet Isbosethum & Israelitas cum Davide, non v. periculo

culo exposuisset. Frustra igitur accusatur David criminis alicujus, in eo commissi, quod fœdus cum Abnero pepigit. Non n. ei nefas fuit commodum ab eo percipere: quo stante jure, fœdera cum omnibus recte percutiuntur. cf. Bud. Ph. pr. p. 2 c 4. f. 5. §. II. Accedit, quod hoc factum fuit non dum finito hostili statu, in quo comœrcia juris alias usitata abrupta sunt, licentiaque ab hoste data est fere quævis adversus se. Inprimis v. hanc instantiam refellit generositas Davidis, in eo declarata, quod non sollicitavit Abnerum ad pangendum fœdus hoc, sed oblatas tantum ab illo conditiones, utpote faciliores belli rationibus, magisque profuturas & Iudæ & Israelis regnis, acceptavit. Cum n. omnia prius tentanda sint, quam bellum suscipiendum; recte utique & laudabiliter fecit David, quod maluerit sine suorum cæde regnum sibi destinatum occupare, quam armis.

SOLI DEO GLORIA.

21 *In Elucubratum opus Inaugurale*

Clarissimi Dni.

MICHAELIS FORSELII,

Philosoph. Candid. meritissimi,
Fautoris, Amici & Patriotæ sui Ho-
noratissimi,

T*Er trina comites, coluit FORSELIUS*
usq;

Numina vestra.

*Hinc jam vos vestrum, Sebethides, can-
didum alumnum*

Sic refovete,

*Ut capiat subito latus se vite laboris
Præmia digna.*

*Præmia digna ferat studio! Voto annue
noster*

O Deus alme!

*Gratulabundus, sensu quam
vena promptior, scripsit*

HENRICUS LILIUS Fil.

SOLI DEO GLORIA